

conferendi beneficia, teneatur hæc intra tempus a jure præfixum conferre personis habilibus; non tamen tenetur ea conferre huic vel illi, sed cui vult libere confert, dummodo is cæteroquin sit idoneus: atque ideo, si tibi conferat, gratiam facit, cum tibi eam conferre non teneretur. Secus accidit in collatione necessaria: nam ibi superior necesse habet conferre beneficium ipsimet præsentato, nominato, electo, permutanti aut provideri mandato, dummodo is sit idoneus: sicque talis collatio dicitur necessaria, non solum in dando, sed etiam in cui dando; ac potest fieri etiam per capitulum, Sede vacante, cap. un., de Institut., in 6, et c. *Cum olim*, 14, de Majorit. et obed., cum similibus. Glossa fin., in c. *Relatum*, 9, et Abbas, ibid., n. 4, de Præbend., et alii.

25. *In quo hæc differat ab electione?* — Differt autem libera collatio ab electione vel maxime ex eo, quod per collationem beneficii, quam quis ratam habuit, acquiratur jus in re, et quasi dominium in ipso, licet possessio ipsius necdum acquisita fuerit, arg. c. *Si tibi absent.*, 17, de Præbend., in 6, ac notat Layman, in princip., h. t., n. 4, et Garcias, part. IV, de Beneficiis, c. II, n. 1, citans alios. Per electionem acceptatam vero non acquiratur jus in re, sed dumtaxat jus ad rem respectu beneficii, ut statim amplius declarabitur. Tacentur aliæ differentie, conformiter hactenus dictis colligendæ. (ADNOTATIO XXX).

§ II.

DE JURE ELECTIS OBVENIENTE VI ELECTIONIS.

26. *Per electionem acquiratur electo jus petendi confirmationem.* — Quæritur I. An, et qua ratione competat electo jus petendi confirmationem? Resp. I. Per electionem canonicam, et acceptatam, acquiratur imprimis electo jus petendi confirmationem: unde si confirmatio suæ electionis sibi injuste negetur, potest eam actione instituta petere, eo quod ex justitia debeat; si cæteroquin electus per superiorem reperiatur habilis. Desumitur hoc ex c. *Postquam*, 3, h. t., ac notat Abbas, ibid., num. 1, dicens, quod confirmatio sit necessitatis, licet electio a principio fuerit voluntatis.

27. *Et ad hanc dandam potest superior compelli.* — Resp. II. Quando superior ad quem spectat confirmatio, debite requisitus, non

vult confirmare rite electum, et cæteroquin dignum, potest ipse ad instantiam electi per suum superiorem compelli, vel ei præfigi terminus ad faciendam confirmationem cum comminatione, sive intimatione, quod nisi infra talem terminum confirmet, superior jure devolutionis id faciet. Ita Glossa, ad rubric. de *Postulat. prælat.*, in 6. Abbas, c. *Postulationem*, num. 4, eod. et alii. Ratio est, quia electio innititur juri, sicque canonicè electo per eam fuit jus quæsitum ad prælaturam; ergo, si electus confidat de idoneitate seu personæ, poterit prosequi jus suum, c. *Cupientes*, 16, h. t., in 6, nec petendo confirmationem reputatur ambitiosus, cum jus suum persequatur.

28. *Fallit hoc in Papa.* — Cæterum istud procedit dumtaxat in superiore habente potestatem confirmandi infra Papam; tum quia summus Pontifex non habet superiorem in terris, a quo possit compelli ad concedendam confirmationem; tum quia is, de plenitudine potestatis, potest denegare confirmationem, arg. can. *In memoriam*, dist. 19, et can. *Per principalem*, dist. 9, juncta Glossa, ibid., §. *Ad nos*, dicente, quod Papa possit aliquem privare beneficio, præsertim accedente rationabili causa, can. 1, dist. 22, juncta Glossa, §. *Injustitiam*. Abbas, cit. num. 4; Rebuffus, quæst. 6, *Super concordatis Germaniæ*, n. 3, dicens Pontificem non sic electione esse ligatum, quin ex evidenti causa, postposito electo, Ecclesiæ de alio prælato possit providere. Pirhing, h. t., num. 304, id. probans etiam ex concordatis Germaniæ. Unde Fagnanus, c. *Consultat.* n. 29, de *Cleric. ægrot.* inquit, quod omnia beneficia sint Papæ libera, et manualia. (ADNOT. XXXI).

29. *An electio tribuat jus in re, vel ad rem respectu prælaturæ.* — Quæritur II. Utrum electio tribuat electo jus in re, vel solummodo jus ad rem respectu prælaturæ? Resp. I. Circa hoc non adeo inter se conveniunt doctores; unde expedit diversas eorum opiniones ponere.

30. *Sententia asserentium, tribui jus in re; ejusque probatio.* — Et quidem Glossa magna, in can. *Quanto*, dist. 63, velle videtur, illud esse jus in re; sic enim inquit: « Per electionem acquiratur electo jus prælaturæ, et jus administrandi, sed non exercitium prælaturæ, vel administrationis: per confirmationem enim nihil novi juris acquiratur, sed tantum exercitium. » Eandem sententiam tenet Joan. de Selva, tom. XV *Tractatum*,

tract. de *Beneficio*, part. III, cap. I, n. 3 et seqq., docens cum aliis a se allegatis, quod electio nondum acceptata conferat jus ad rem, arg. c. *Publicato, de Elect.*, sed, ubi accesserit consensus electi, tribuat jus in re, arg. c. *Nihil est*, 44, eod.; ibi enim electus nondum confirmatus habet administrationem: simulque quia per confirmationem non acquiratur jus, sed solum confirmatur jus olim acquisitum, ut c. *Cum dilecta*, 4, de *Confirmat. utili*. Et huic sententiæ favet Abbas, c. *Postquam*, n. 2, h. t., et Fagnanus, c. *Nosti*, n. 3, eod., dum dicunt, quod electus ante confirmationem habet jus solum in habitu, non in actu; et quod per confirmationem acquiratur electus exercitium juris competentis prælaturæ. Hæc enim sententia in re non distinguitur a priori: quinimo idem Fagnanus, c. *Cum vos*, n. 41, de *Offic. ordinar.*, expressis terminis dicit, quod electio dat jus in re. Verum his non obstantibus,

31. *Præfertur sententia dicens per eam tribui solum jus ad rem, ante confirmationem. Quæ probatur multipliciter.* — Resp. II. Electio canonica, et acceptata, ante confirmationem superioris non tribuit jus in re, sed tantum jus ad rem respectu prælaturæ. Ita Antonius de Butrio, c. *In nostra*, n. 25 et 26, de *Rescript.*; Imola, Clem. 1, § Glossa, *Collato. Ut lite pendente*, addens, quod electus ante confirmationem non possit dicere beneficium esse suum, sed sibi debitum; Layman, in princip., h. t., n. 4; Pirhing, eod., n. 2; Passerinus, cap. xxxiii, de *Elect.*, n. 7, appellans hanc communem et veram sententiam. Probatur hæc conclusio imprimis, ex c. *Super his*, 16, de *Accusationib.*, ubi dicitur, quod si crimen objiciatur electo « ante confirmationem, crimen hoc modo probatum, impedit promovendum, sed non dejicit jam promotum: post confirmationem vero dejicit ab obtento. » Et consequenter electus ante confirmationem nondum habet jus in re respectu prælaturæ (alioquin jam tunc ob crimen probatum dejiceretur ab obtento) sed dumtaxat jus ad rem, utpote promovendus, si nihil canonicum obstiterit.

32. *Qui nihil habet, nihil dare potest.* — Accedit ratio: quia, qui nihil habet, nihil dare potest, ut can. *Gratia*, 1, q. 1, et can. *Dai- bertum*, 1, q. 7, cum concordantiis ibidem a Glossa adductis: atqui electores non habent jus in re respectu prælaturæ; ergo nec hoc dare possunt. Unde hoc jus electo tribuendum est, ac primum tribuitur per summum

Pontificem, veluti caput Ecclesiæ universalis, dum vel per se, vel per inferiorem prælatum sua auctoritate fungentem, confirmat electionem canonicè celebratam, per quam eidem electo jus ad rem respectu prælaturæ fuerat acquisitum.

33. *Si electus moriatur ante confirmationem, non per mortem ejus, sed prioris, vacat prælatura. Vacatio beneficii durat usque ad confirmationem novi prælati.* — Præterea signum hujus, et quidem manifestum est hoc: quia, si electus moriatur ante confirmationem, prælatura non censetur vacare per mortem hujus electi, sed per mortem prioris prælati. Siquidem prima vacatio beneficii, seu prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius prælati, arg. c. *Quam sit Ecclesiis*, 6, et c. *Cupientes*, 16, § 1, de *Elect.*, in 6, ac notat Glossa, in Clem. 1, §. *Collato. Ut lite pendente*, et ibi Abbas, n. 1; Layman, d. n. 4, ac alii. Qui proinde, sicuti et Rota, decis. ult. de *Elect. in novis*, inde concludunt, quod si electus nondum confirmatus moriatur in curia, Ecclesia illa, in qua facta est electio, non censeatur vacare in curia: secus, si ibidem moriatur electus jam confirmatus.

34. *Electus ante confirmationem libere resignat beneficium, sive prælaturam.* — Accedit, quod electus ante obtentam confirmationem libere, seu non requisito consensu superioris, possit renunciare beneficium seu prælaturam in manibus eligentium; ut pluribus tradit Glossa, in c. *Si electio*, 26, §. *Renuntiat.*, h. t., in 6, et alia Glossa, c. *Cum venissent*, §. *Renuntiavit. De in integrum restitut.* atque Abbas, ibid., n. 11, cum aliis passim. Etenim ante confirmationem nondum est Ecclesiæ jus quæsitum respectu electi: et consequenter etiam hic nondum habet jus in re ad illam. Unde, in cap. ult. de *Translat. episc.* notanter dicitur, quod spirituale fœdus conjugii, quod est inter episcopum et Ecclesiam, in electione intelligitur initiatum, et ratum in confirmatione: atqui fœdus conjugii dumtaxat initiatum (quod in matrimonio carnali fit per sponsalia de futuro) non tribuit jus in re, sed tantummodo jus ad rem: ergo.

35. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.* — Nec obstant rationes Joan. de Selva, in contrarium, n. 30, adductæ. Nam in c. *Nihil est*, h. t., non tribuitur omnibus electis potestas administrandi, sed solum valde remotis, seu ultra Italiam constitutis; et hoc dispensative « propter necessitates Ecclesiarum, et utilitates, » ut loquitur textus; qui proinde nibi

probat; sed magis militat in oppositum. Neque arguet, c. *Cum dilecta*, de *Fide instrumenti*. Nam ibi sermo est de confirmatione, seu innovatione instrumentorum, seu litterarum, privilegium olim concessum continentium, ex qua utique jus novum non acquiritur, sed solummodo antiquum conservatur; secus est de confirmatione electionis, juxta haecenus dicta. Cur autem electores publicato scrutinio non possint variare, dicitur infra, § 42, num. 291 et seqq. Sufficit pro nunc, quod causa hujus non sit jus in re, per electionem acquisitum electo: nam tale jus, juxta ipsummet Selvam, non acquiritur, nisi post acceptationem electionis, quae tamen tempore publicati scrutinii nondum adest, imo tunc necdum perfecta est electio communis, seu capitularis.

36. *Electis ante obtentam confirmationem prohibita est administratio, et qualis?* — Queritur III. Utrum electo ante obtentam confirmationem sit prohibita administratio praelaturae, et qua ratione? Resp. I. Electus, antequam confirmationem a superiore obtineat, nullatenus debet, nec potest se immiscere administrationi: ut puta, recipiendo a clericis, vel a laicis juramenta fidelitatis, et obedientiae, c. *Qualiter*, 17, h. t.; aut concedendo honores, vel praebendas, seu alias disponendo de rebus Ecclesiae, c. *Nosti*, 9, eod.; vel in dicto officio ministrando, ut c. *Cum jam dudum*, 48, de *Praebend.*, aut excommunicando, absolvendo, interdicendo, censendo et debita recipiendo, seu habendo curam colligendorum, et conservandorum fructuum, ac hujusmodi; prout exemplificent Glossa in c. *Avaritiae*, 5, §. *In spiritualibus*, et 9, *Temporalibus*, h. t. n. 6. Haec, inquam, et alia similia sunt electis prohibita ante obtentam confirmationem, per jura hic allegata.

37. *Ratio talis prohibitionis.* — Accedit ratio: quia imprimis hoc exigit debita superiori reverentia, ne videlicet electus irreverenter, ac sprete superioris confirmatione, statim sese administrationi immiscere praesumat; cum tamen secundum Apostolum *Hebr.* cap. v, 4, nemo debeat sibi honorem assumere, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Deinde id ipsum merito ex eo fuit statutum, ne alioquin electis daretur ansa non curandi de obtinenda confirmatione, maxime illis, qui non habent necesse consecrari. Idem suadet absurda caeteroquin subsequenda: nam si per electionem illico conferretur jus administrandi, ergo subsequens confirmatio

nihil amplius operari, sicque esse superflua videretur; quod absit. Insuper, si quandoque contingeret electionem cassari, non posset amplius commode electus removeri, utpote jam in actuali rerum administratione constitutus; ex quo magna Ecclesiarum pericula et damna suboriri possent. Glossa in d. c. *Avaritiae*, vers. *Confirmetur*, juncto textu in cit. c. *Nosti*, h. t.

38. *Nec valet consuetudo administrandi ante confirmationem.* — Et haec adeo sunt vera, ut etiam non valeat consuetudo, quod possit electus administrare ante obtentam confirmationem. Abbas in c. *Transmissam*, 25, n. 5, vers. Tertio casu, h. t. citans Innocentium, et Hostiensem ibid.; Oldradus, consil. 191; Fagnanus c. *Qualiter*, n. 2, h. t. et alii. Idque desumitur ex c. *Cum venerabilis*, 7, de *Consuetud.* ubi talis consuetudo reprobatur ut corruptela: quia tenderet in maximam perniciem Ecclesiae, eo quod nonnunquam indignus, aut electus in discordia, posset dilapidare bona Ecclesiae, administrando ante obtentam a superiore confirmationem: simulque, quia talis consuetudo administrandi foret contra bonos mores, et ordinatum statum ecclesiasticae hierarchiae.

39. *Non tamen prohibetur fieri preparatoria, neque simplex installatio.* — Non tamen prohibetur electus, preparatoria facere ad futuram administrationem. Engel, h. t. n. 51. Nec etiam censetur prohibita simplex installatio, qua electus peracta electione permittit se poni in stallo, seu sede praelati; tum quia per hoc non administrat bona praelaturae; tum quia ita se habet generalis consuetudo, quae est optima legum interpret, et de qua testatur Fagnanus, ubi supra n. 3, post Innocentium, Hostiensem, et alios, ac tenet Abbas in c. *Qualiter*, n. 1, h. t. et communis aliorum.

40. *Electus, si ante confirmationem se administrationi immiscere praesumpserit, privatur jure ex electione sibi questio.* — Resp. II. Si electus ante obtentam confirmationem per se, vel per alium, pro parte vel in totum, sese administrationi immiscere praesumpserit, sub quo cumque tandem illud fiat colore, etiam sub nomine oekonomi, vel procuratoris ipso facto privatus existit jure sibi ex electione quaesito. Ita desumitur ex cit. c. *Avaritiae*, 5, h. t. in 6 juncta Glossa ibid. vers. *Privatos*, ac tenet Abbas c. *Qualiter*, 17, n. 4, et Fagnanus ibid. n. 40, h. t. ubi haec sententiam dicit esse communem, et verio-

rem; et sequitur Layman in cit. c. *Avaritiae*, n. 1. Quamvis non desint asserentes ibi poenam privationis ipso jure solum infligi in administrantes sub nomine procuratoris, seu oekonomi, aut alio quaesito colore, non autem in administrantes sub nomine electi: ut sic (inquiunt) evitetur jurium correctio, eo quod de jure antiquo tales non ipso jure privati existebant, sed primum privandi erant per sententiam, arg. d. c. *Qualiter*, 17, h. t. ibi: « Electionem de ipso factam duximus irritandam. » Et huic sententiae praeter Joan. Andream, et Joan. Monachum, novissime non parum favet Pirhing h. t. n. 292, appellans eam probabiliorem.

41. *Cassanturque omnia ab ipso gesto.* — Quod si autem electus ante obtentam confirmationem sese irreverenter administrationi ingesserit, cassata ejusdem electione, pariter omnia ab ipso gesta ratione talis usurpatae jurisdictionis, et officii, sunt cassanda, et penitus non valere denuntianda; prout liquet ex c. *Qualiter*, 17, in fin. h. t. ac notat ibidem Layman n. 3, cum aliis.

42. *Dicitur intrusus. Et redditur ineligibilis ad praelaturam.* — Quinimo electus, qui ante confirmationem administrare praesumpserit, dicitur intrusus, arg. c. *Cum jam dudum*, 48, et ibi Abbas, n. 3 et 4, de *Praebend.* Passerinus, cap. xxxiii, de *Elect.* n. 16, et alii. Insuper talis, cujus electio fuit cassata ob indebitam, et ante tempus praesumptam administrationem, postea non poterit ad eandem, vel aliam praelaturam eligi: quia tunc prior electio censetur cassata vitio personae, sicque ipsi obstat, cap. *Super eo*, 12, h. t. Abbas d. c. *Qualiter*, n. 8, citans Archidiaconum in c. *Avaritiae*, eod. in 6; Pirhing h. t. n. 290, et alii.

43. *Etiam si ante electionem fuisset procurator, vel oekonomus Ecclesiae.* — Porro haecenus dicta procedunt etiam in eo, qui ante electionem existerat procurator, vel oekonomus Ecclesiae: nam si contingat oekonomum Ecclesiae eligi in praelatum, statim a tempore electionis tenetur ipse abstinere ab administratione oekonomiae. Geminianus in d. c. *Avaritiae*, n. 4; Passerinus, cit. cap. xxxiii, de *Elect.* n. 4, citans alios.

44. *Secus, si quidem se oekonomum fieri procuravit, sed non administravit.* — Solum adde quod electus, qui se oekonomum, vel procuratorem praelaturae fieri procuravit, sed eam seipsa per se, vel per alium non administravit, praedictam poenam privationis juris,

sibi ex electione quaesiti, nequitquam incurrat: nam verba legis poenalis debent intelligi cum effectu c. *Relatum*, 4, de *Cleric. non resident.* cum similibus. Glossa communiter recepta cit. c. *Avaritiae*, vers. *Eo ipso*, et ibi Layman, num. 3.

45. *In certis casibus potest electus administrare ante obtentam confirmationem.* — Queritur IV. Utrum nullus omnino detur casus, in quo electus possit administrare ante obtentam confirmationem? Resp. cum communi, dari nonnullos tales casus, qui potissimum sunt sequentes.

46. *I. Si administratio fiat de consensu superioris.* — Et primo quidem hoc accidit, si talis administratio fiat de consensu superioris; prout nonnumquam Papa per speciale Breve solet concedere episcopis electis, ut ante acceptam confirmationem suam administrarent. Non tamen sufficit licentia administrandi ante confirmationem petita, nisi fuerit obtenta, arg. c. *Cum venerabilis*, ac notat ibi Fagnanus n. 7, de *Consuetud.* juncto c. *Admonet.* et c. *Nisi cum pridem*, de *Renuntiat.*

47. *II. Si hoc habeat ex privilegio.* — Pari ratione, ac secundo potest electus administrare ante confirmationem, si hoc habeat ex privilegio: ut habent Cistercienses, teste Abbate in d. c. *Cum venerabilis*, n. 6, et Fagnano, loc. cit. n. 11. Verum, quod non possit consuetudine induci, ut electus administraret non habita confirmatione, cum talis consuetudo a jure reprobetur ut corruptela, jam est dictum supra, num. 38.

48. *III. Electus in concordia, simulque valde remotus a curia.* — Tertio istud locum habet quoad valde remotos a Curia Romana, ut puta constitutos ultra Italiam, ac Sedi apostolicae immediate subjectos: tales enim electi possunt immediate administrare tum in spiritualibus, tum in temporalibus, etiam ante obtentam confirmationem, dummodo fuerint electi in concordia. Ita quippe propter necessitates, atque utilitates Ecclesiarum, eisdem dispensative fuit concessum expresse a jure, in c. *Nihil est*, 44, § fin. h. t.; sic tamen, ut de rebus Ecclesiae nihil penitus alienent. Et quamvis textus ibidem utatur verbo *dispensative* ac dispensatio, veluti vulnus juris, caeteroquin sit restringenda, quia tamen haec est dispensatio juris, atque in Corpus juris redacta, simulque facta non personis, sed Ecclesiis, atque ob harum utilitatem: hinc ipsam esse extendendam ex paritate rationis, ac eadem aequi-

tate, censet Oldradus, consil. 9, per totum; card. Tuschus, litt. C. concl. 44, n. 5; Barbosa ad cit. c. *Nihil est*, n. 5, h. t.

49. *Electi in concordia, qui dicantur?* — Cæterum quinam censeantur electi in concordia, nonnihil variant doctores. Et quidem Abbas in d. c. *Nihil est*, n. 4, et ibi Fagnanus, n. 12, post Glossam in c. *Cupientes*, § *Ad hæc*. § *Concordem*, h. t. in 6, electos in concordia dicunt eos, qui sunt electi nemine prorsus discrepante. Sed quia rarissimum est, ut electio fiat de aliquo, in quem omnes nemine discrepante sua vota direxerunt, sicque utilitatibus Ecclesiarum per citatam decretalem parum, aut ferme nihil fuisset provisum: hinc Layman c. *In causis*, 30, n. 4, h. t. ac rursus cit. c. *Nihil est*, n. 6, et Pirhing n. 297, eod. verius esse censent, eam electionem impræsentiarum dici debere concordem, quæ facta fuit vel ab omnibus, vel saltem a majori parte capituli; ita tamen, ut minor pars nullam rationabilem contradicendi causam habeat, sicque consentire debeat, arg. cap. 1, *De his, quæ fiunt a major. part. capit.* cum similibus. Et hæc sententia probabilius sustinetur, quando nullus adest, qui electioni a majori parte celebratæ sese opponit: quia tunc ex post facto omnes in eam consentiunt, ipsamque verbo, aut facto comprobant, nemine discrepante. Quod si vero appareat contradictor, vel contradictores, ad quos spectabat electio, et qui huic jam factæ sese postmodum opponunt; censeatur electio celebrata in discordia, juxta Glossam notabilem in c. *Quorundam*, 24, § *In discordia*, h. t. in 6.

50. *An hæc concessio administrandi ante confirmationem, adhuc sit in vigore?* — Dubitat tamen Engel. h. t. n. 51, num hæc dispensativa concessio administrandi ante obtentam confirmationem adhuc sit in vigore? Quinimo difficultatem auget Extravag. *Injunctæ. de Elect.*, inter communes, ubi Bonifacius VIII, sub nullitate actus, et aliis gravissimis pœnis prohibet, ne episcopi, alique prælati, qui apud Sedem apostolicam promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere præsumant, vel a capitulis, aut conventibus recipiantur, donec exhibuerint litteras apostolicas de sua promotione, confirmatione, etc. attestantes. Unde Passerinus, cit. cap. xxxiii, *de Elect.* n. 35, inquit, quod hodie propter dictam Extravag. nulli episcopi, alique præ-

lati, qui debent confirmationem petere a Papa, etiam in remotissimis Indiarum partibus existentes, possint administrare non habitis litteris apostolicis, eorum electionem, confirmationem, seu provisionem continentibus.

51. *An hæc concessio administrandi ante confirmationem adhuc sit in vigore?* — Verum Layman in d. c. *Nihil est*, n. 22, h. t. arbitratur haud quidpiam obstare quominus licentia dicti capituli in Ecclesiis Germaniæ propter earum necessitates, et utilitates, in praxim deduci valeat. Atque hoc ipsum amplius corroborat Pirhing h. t. n. 297 et 303, præsertim cum hæc dispensativa juris concessio sit Ecclesiis favorabilis, atque in ipsarum utilitates principaliter facta. Nec obstat dicta Extravag. *Injunctæ*. Nam ut liquet ex contextu, ibi solum prohibetur, ne quis, asserens se a Papa esse promotum, vel confirmatum, recipiatur a capitulis, aut conventibus, vel administret, priusquam exhibeat litteras apostolicas desuper confectas (et in hoc sensu ea obligat ubique, etiam in ultimis Indiarum partibus). Non autem prohibetur, quin electi extra Italiam in concordia possint dispensative, ac ex concessione juris communis, administrare ante adventam confirmationis apostolicæ: hi enim non administrant ex asserta confirmatione apostolica, sed ex concessione juris, ut dictum. His addi potest Winzlerus tit. 5, *de Jurisdic. episcop.*

52. *Gesta per electum ante suam confirmationem an valeant, si ipse ob defectum aliquem postea repellatur.* — Dices. Talis praxis est valde periculosa; cum possit contingere, quod ejusmodi prælatus ob occultum defectum ante suam confirmationem reperiatur inhabilis, seu inidoneus ad talem prælaturam, et consequenter repellendus: quia tunc, si antea administrasset, ea omnia, quæ medio tempore suæ administraturæ fecerat, forent cassanda: nam cassato principali corrumpunt omnia, quæ ex eo secuta sunt, ut c. *Inter dilectos*, § *Cum igitur*, *de Fide instrument.* simulque accessoriam naturam sequitur principalis, juxta reg. 42 juris. in 6. Resp. negando assumptum: quia, ut notat Glossa fin. § *Sed pone*, in c. *Nihil est*, 44, h. t. et Abbas ibid. n. 10, et seqq. citans communem doctorum, talis prælatus foret in quietâ administratione, et in quasi possessione prælaturæ de licentia Papæ, seu ipsiusmet juris; ac proinde omnia, quæ medio tempore fecit, rata existerent, dummodo nihil de rebus Ec-

clesiæ alienaverit; hoc enim expresse ei prohibebatur. Nec obstant contraria: nam ea procedunt, quando electus non habuit potestatem administrandi a superiore, aut præcessit notoria inhabilitas: secus, ubi defectus erat occultus, simulque intervenit auctoritas superioris, per quam causabatur error communis, qui tribuit jus, ut l. *Barbarius*, ff. *de Offic. prætor.*

53. *IV. Electus in summum Pontificem, potest administrare ante coronationem.* — Quarto procedit conclusio in electione summi Pontificis: nam is a duabus partibus cardinalium electus, atque electionem acceptans, illico suam coronationem; ut habetur c. *Licet*, 6, h. t. juncta Extravag. *Quia nonnulli*, *de Sentent. excomm.*

54. *Sicut et Romanus Imperator.* — Idem de Romano imperatore censet Glossa in c. *Avaritiæ*, 5, vers. *Ecclesiarum*, h. t. et amplius in Clem. *Romani*, vers. *Reges de jurejurand.* Abbas, c. *Venerabilem*, n. 26, h. t. dicens, hodie esse receptum consuetudine, ut electus in imperatorem statim administret. Pirhing, h. t. n. 463, allegans insuper Imolam, et communem canonistarum, quam consuetudo et *Aurea Bulla* confirmat. (ADNOTATIO XXXII.)

§ III.

DE PRÆPARATORIIS, IPSAQUE ELECTIONE PER INSPIRATIONEM ET COMPROMISSUM.

55. *Inter præparatoria ad electionem connumeratur vacatura Ecclesiæ, seu beneficii.* — Quæritur I. Quænam inter præparatoria ad electionem connumerentur? Resp. Ea potissimum sunt sequentia I. Vacatura Ecclesiæ, seu beneficii ecclesiastici: nam beneficia non vacantia concedi, vel promitti non possunt, ut, cap. 1, etc., *Nulla*, 2, *de Concess. præbend.*, cum similibus; sicque nec valet electio ad illa.

56. *Et quibus modis hæc contingat?* — Censetur autem Ecclesia, seu beneficium, vacare tum per mortem naturalem prioris prælati, sive rectoris, ut patet; tum etiam per mortem ipsius civilem, seu moralem: ut si ob culpam aliquam gravem deponatur, aut iudice privetur tali prælatura, seu beneficio. Item per translationem prioris prælati ad aliam Ecclesiam; ut can. *Episcopus*, 7, q. 1, et alibi. Item per renuntiationem debite fac-

tam; ut c. *Ex transmissa de renuntiat.*, cum similibus. Item per receptionem alterius incompatibilis beneficii; ut c. *De multa*, 28, *de Præbend.*, cum concordantiis. Item per ingressum prælati in religionem ab Ecclesia approbatam; ut c. *Nisi cum pridem*, 10, et c. *Post translationem*, 11, *de Renuntiat.*, et alibi.

57. *Item sepultura mortui prælati, saltem de honestate.* — II. Inter præparatoria electionis connumeratur honorifica sepultura mortui prælati: uti desumitur, ex c. *Bonæ memoriæ*, § *Electionem*, 36, h. t. Verumtamen, quod electio novi prælati non fiat ante sepulturam demortui, solum est de honestate, non autem de necessitate, seu de substantia electionis. Glossa, in cit. *Bonæ memoriæ*, § *Tractatum*, et Abbas, ibid., n. 5 et 10. Fagnanus, c. *Quia propter*, n. 71, h. t., et alii.

58. *Assignatio loci, et diei certæ ad electionem celebrandam; et an hæc denuo mutari possit?* — III. Assignatio loci, et diei certæ ad electionem celebrandam, arg. c. *Cumana*, 50, etc. *Cum in veteri*, 52, h. t. Cæterum nihil obstat, quin postea, si ita expedire videbitur, possit mutari locus, aut electio in alium diem prorogari. Fagnanus, loc. cit. n. 67, citans alios. Quod intellige, dummodo adhuc electio fiat intra tempus a jure præfixitum: quod est trimestre respectu prælaturarum majorum, c. *Ne pro defectu*, 41, h. t., semestre vero respectu inferiorum beneficiorum a die habitæ notitiæ computandum; ut c. *Nulla*, 5, etc. *Quia diversitatem*, 5, *de Concess. præbend.* Et dummodo particulares constitutiones non obstant; prout, juxta Clem. *Exivit*, § *Demum quia*, *de Verb. signific.*, in Ordine Fratrum Minorum electio ministri provincialis fieri debet eodem die, quo capitulum provinciale fuerit congregatum: sin minus, electio ministri provincialis libere ad ministrum generalem devolvitur.

59. *Convocatio vocalium, missæque sollemnis celebratio.* — IV. Ad electionem celebrandam die, ac loco jam determinato, omnes vocales canonice sunt vocandi, juxta amplius dicenda, § 5, n. 116 et seqq. V. Præter alias preces, supplicationesque, Sede episcopali vacante, publice ac privatim habendas, atque juxta præscriptum concilii Trident., sess. 24, cap. 1, *de Reformat.*, a capitulo per civitatem, et diœcesin indicendas, ipso die electionis specialiter invocatur gratia Spiritus sancti, celebrando missam solemnem; in c. *Cum terra*, 14, h. t. Quam quidem pro forma, et validitate electionis præmittendam esse,